



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Otiositas multum cauenda iuueni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

necessarium est homini in prosperis, quam in aduersis. Prosperitatem comitari solet securitas, gaudium, elatio animi. Quodlibet verò istorum occasio solet esse præcipitij. In Psal. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Et subditur: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Sicut vinum purum habentes capita debilia infatuat: sic gaudium temporale cordibus infirmis nocet, nisi temperetur aqua tribulationis, vel saltem memoria. In die bonorum ne immemor sis malorum: nec in die malorum immemor sis bonorum. Tempore prosperitatis necessarius est vsus temperantiæ: tempore aduersitatis vsus patientiæ. In periculo est cui in prosperis deest temperantia: vel in aduersis patientia. Vnus perit aquis deliciarum, alius aquis tribulationum. Eccl. 11.

Quòd otiositas multum cauenda est iuueni.

Iuuentutis tempore specialiter cauenda est, & timenda otiositas. Vnde inter abusiones claustri enumeratur iuuenis otiosus. Et secundum Hugonem de S. Victore: Large dicitur iuuenis, non solum ille, qui est in adolescentia: sed etiam ille qui est in ætate matura. Quadruplici ratione reprehensibilis est otiositas in iuvene. Primò, quia hæc ætas labori est congrua. Secundò, quia doctrinæ & assuefactioni est idonea. Vnde vituli in iuuentute domantur, & equi tunc ambulationi assuescunt: in senectute verò non sunt susceptibiles talium. Tertiò, quia hæc ætas prona est ad leuitatem: ideo onere laboris stabi- Lib. 2. de claustro anima, cap. 14. à med. Tom. 2.

lienda est. Maturitatem quam in senibus facit ætas:

Eccl. 32.

*Lib. 2. de
clauſtro a-
nima, cap.
15. circa ſi-
nem.
Tom. 1.*

ætas : in iuuenibus debet facere huius oneris grauitas. Quarto, quia in iuuenibus corpus est in suo robore : & sanguis in feruore. Vnde corpus nisi opprimatur onere laboris, dominari vult spiritui & non seruire. Iuuenibus necessaria est virga correctionis : & onus laboris. Cibaria, & virga, & onus aſino : panis & disciplina & opus seruo, corpori scilicet ad seruiendum spiritui dato. Hugo de S. Victore: Iuuenis in otio, est quasi iumentum sine iugo. Quatuor sunt signa bonæ spei in iuene: scilicet amor laboris, taciturnitatis, corporis continentia, & verecundia. De tribus vltimis dicit Anselmus: In iuene tria notantur, quibus ad prosperitatem venturus prænoſcitur. Hæc autem sunt taciturnitas, corporis continentia, & verecundia.

Quod obſtinatio multum cauenda ſit ſeni.

*Lib. 2. de
clauſtro a-
nima, cap.
15. in prin.*

Tempore ſenectutis ſpecialiter timenda eſt obſtinatio. vnde inter abuſiones clauſtri enumeratur ſenex obſtinatus. Hugo de S. Victore: Inter abuſiones huius ſæculi, maior eſt ſenis obſtinatio: qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum: qui quaſi ad oſtium mundi huius foris ſpectat, non tamen vitæ præſentis attendit egreſſum: nec ingreſſum futuræ vitæ deſiderat. Audit nuncios mortis: & credere non vult eis. Tres ſunt nuncij mortis: caſus, infirmitas, & ſenectus. Caſus dubia: infirmitas grauias: ſenectus certa nunciat. Caſus nunciat mortem latentem: infirmitas apparentem: ſenectus præſentem. Ex incertitudine mor-
ti